CHRIS … Autor,
… rum,
Dum … eius esto
… liber!

Notandum ex hoc libro
de Melanchtone pag -- 215
quod sit Sacramentarius
de Brentio quod iis etiam
in nonnullis faveret 220.

D. O. M. A. E. C.

Disputatio V.

COLLEGII CORPORIS DOctrinæ Prutenicarum Ecclesiarum,

DE OFFICIO CHRISTI,

SUB PRÆSIDIO

COELESTINI MISLENTÆ,

SS. Th. D. eiusdem, ut & Hebr. lingvæ Profess. Ordinar. Consistorii Sambiens. assessoris.

RESPONDENTE

HENRICO HELLENIO,

Oldenburgensi Frisio.

Publicè in Auditorio majori 20. Iulii habenda.

REGIOMONTI,

Typis Laurentii Segebadii, Anno 1624.

Amplißimo, consultißimo, doctrinâ, ac rerum experientiâ præstantißimis viris; patriciis antiquißimis:

DN. ARNOLDO à BOBERN, J. U. Doctori, & inclytæ reipub. Bremanæ Senatori ut dignissimo, ita meritissimo:

DN. NICOLAO TILINGIO, inter cives ibidem è primatibus bene merito:

DN. HENRICO BREDELO,
DN. MEIMERICO SCHONEN,
DN. ADAMO SCHLAVCHEN,
Ejusdem Reipub. civibus spectatissimis atq; integerrimis:

Dominis cognatis, & Affinibus, fautoribus, ac Euergetis suis,

Hanc Theologicam disputationem, in grati animi signum dedicat

HENRICVS HELLENIVS.

Diſputatio V.

EGimus hactenus de Chriſti perſona: jam contemplabimur ipſius officium; cujus ſumma neceſſitas, & dignitas vel ex eo evadit conſpicua, quòd ejus gratiâ λόγος carnem noſtram aſſumere voluerit, & ſine quo ſalutis ne tantillum quidem nobis ſperandum fuiſſet.

THESIS ORTHODOXA.

§. 1. Conſiderari autem Chriſti officium poteſt vel *in genere*, vel *in ſpecie*.

2. In *genere* officium Chriſti eſt apoteleſma θεανθρώπου ceu Mediatoris in procuranda ſalute totius generis humani. Notentur axiom.

1. *Officium Chriſti in genere, ceu actio Mediatoris, ſex gradibus abſolvitur, 1. diſcretione & dijudicatione* cauſæ inter partes diſſidentes, 2. *relatione* & patefactione voluntatis divinæ reſpectu generis humani, 3. *interceßione* & interpellatione pro parte lædente apud læſam, h. e. Deum, 4. *ſatisfactione* & ſolutione parti læſæ pro lædente: 5. *applicatione* efficaci illius ſatisfactionis: 6. *de-*

fenſione ac conſervatione liberatorum in parta ſalute. Ex hiſce gradibus oritur *triplex* Chriſti officium: 1. *Propheticum* ex primo & ſecundo: 2. *Sacerdotale* ex tertio & quarto: 3. *Regium* ex quinto & ſexto.

2. *Ad officium Mediationis Chriſtus eſt unctus vel deſignatus ab æterno: ad idem verò miſſus in tempore.* Prov. 8. v. 28. 29. Ioh. 10. v. 36. 1. Pet. 1. v. 20. Hebr. 13. v. 20.

3. *Omne officium competit Chriſto ſecundùm utramq; naturam.* Ratio, quia in omnibus officii Chriſti partibus utriusq; naturæ concurſus eſt neceſſarius: unde apotelesmata illa, ad neutram naturam ſeorſim; ſed ad utramq; unitim ſunt referenda. Hinc effata: *Omnia apotelesmata officii Chriſti ſunt θεανδρικὰ: Vtraq; natura agit id, quod ſibi proprium eſt, cum communicatione alterius: Chriſtus in utraq; natura vel ſecundùm utramq; naturam peragit munia officii ſui: Subjectum Mediationis officii eſt totus Chriſtus & totum Chriſti: Idiomata officiorum Chriſti nec poſſunt, nec debent alterutri naturæ tribui.*

3. Natæ hinc ſunt *triplices* loquendi de officio Chriſti formulæ. I. *Quædam* loquuntur de officio Chriſti, mentione *divinæ naturæ* factâ. Eſa. 35. v. 4. Oſ. 1. v. 7. Actor. 20. v. 28. Rom. 5. v. 10. c. 8. v. 3. 32. 1. Joh. 1. v. 7. c. 3. v. 8. Gal. 4. v. 4.

II. *Quædam* de eodem loquuntur, mentione *humanitatis* Chriſti factâ, idq; dupliciter, 1. ὁλικῶς, ubi tota humana natura commemora-

tur.

tur. 1. Tim. 2. v. 5. Vnus mediator homo Jesus Christus: semen mulieris, gen. 3. 15. c. 12. 3. c. 18. 18. c. 22. 18. Matth. 20. 28. Hebr. 2. 17. 1. Pet. 1. 18. 19. Matt. 9. 6. 2. μεϱικῶς, ubi fit mentio vel *carnis* Christi, Joh. 6. v. 51. 53. Col. 1. 22. Heb. 10. 10. vel *sanguinis*, Matt. 26. v. 28. Joh. 6. v. 53. 54. 55. 56. 1. Cor. 11. v. 24. 25. Eph. 1. v. 7. Col. 1. v. 14. 20. Hebr. 9. v. 12. 14. 22. c. 13. v. 12. 1. Pet. 1. v. 19. Ap. 1. v. 5. c. 5. v. 9.

III. *Quædam* deniq; συναμφοτεϱικῶς de totius Christi persona efferuntur. Jer. 23. 5. 6. Matt. 1. 21. Gal. 3. 13. Eph. 5. 2.

IV. *Officium Mediationis Christi sese extendit ad omnes homines.* Datus enim Christus est toti mundo salvator, Luc. 2. 10. Joh. 3. 16. c. 4. v. 42. c. 6. 51. c. 12. 47. 2. Cor. 5. 19. 1. Joh. 4. 14: ac Mediator Dei & hominum, non aliquorum; sed omnium. 1. Tim. 2. 6.

4. *In specie* officium Christi est triplex: 1. *Propheticum*, 2. *Sacerdotale*, & 3. *Regium*.

DE PROPHETICO *Christi officio.*

5. *Officium Christi propheticum est functio personæ θεανθϱώπου, quâ homines instruit de voluntate Patris sui, & via ad vitam æternam.*

6. Ab hoc officio Christus vocatur *Propheta, Præceptor, Rabbi, Legislator, Sermo Patris, Angelus fœderis, consiliarius, Lux mundi*, de quibus suprà. His adde: *Sapientia nostra.* 1. Cor. 1. v. 30.

7. Axiomata. 1. *Excellentia muneris Christi Prophetici omnem prophetarum omnium dignitatem longè latéq; excedit*, 1. ratione *vocationis*, *&* *missionis*, *ac inaugurationis* solennis. Matth. 3. v. 17. c. 17. v. 5. Luc. 9. v. 35. 2. Pet. 1. v. 17. 18. 2. ratione *instructionis* non per externum aliquod medium; sed per intimum secretorum Patris intuitum, ac per claram Dei visionem. Matth. 11. v. 27. Ioh. 1. v. 18. c. 3. v. 11. 32. 3. ratione *donorum* Spiritus S. non ad mensuram; sed ultra consortes suos. Ioh. 3. v. 34. Heb. 1. v. 9. Actor. 2. v. 33. 4. ratione *doctrinæ*, cum divina auctoritate Evangelium patefaciendo, legem interpretando; miraculis propriâ virtute patratis confirmando; novos deniq; fidei articulos promulgando. 5. ratione *efficaciæ* operandi in hominum cordibus.

2. *Christi prophetia omnes sapientiæ & perfectionis thesauros continet.* Col. 2. v. 3.

8. Porrò officii Prophetici Christi partes *duæ* sunt. *Prior* est *munus docendi*, quo Christus Ecclesiam suam informat in iis, quæ ad salutem necessaria sunt; idq; facit vel *immediatè* in propria persona, ante, & in diebus carnis suæ: vel *mediatè*, instituendo, & conservando ministerium usq; ad finem seculi. Huc propriè pertinet 1. *patefactio* & prædicatio Euangelii, 2. Explicatio legis moralis, 3. *prædictio* futurorum, 4. Sacramentorum *institutio*, 5. miraculosa *confirmatio*.

9. *Posterior* pars officii Prophetici Christi

est *doctrinæ efficacia*, vis ac virtus, quâ Christus per verbum suum potentiâ Spiritus S. prædicatum corda hominum flectit ac movet ad doctrinam fidei amplectendam Luc. 24. v. 32. 45. Act. 16. v. 14.

De Sacerdotali Christi officio.

10. *Sacerdotale Christi officium est functio θεανθρώπου, quâ medium sese sistens inter Deum & homines peccatores, Deum toti generi humano reconciliavit.*

11. Ab hoc officio Christus vocatur *Sacerdos*, *Pontifex* &c. de quibus disp. præced. Teneantur axiomata:

I. *Sacerdotii Christi excellentia est, non secundùm typum tribus Levi, sed Melchisedeci.* Psalm. 110. v. 4. Heb. 10. v. 6. 7. 8. 9 ubi notandum, sacerdotii Christi *duplicem* fuisse typum, I. *communem*, secundùm ordinem *Levi*, cui Christi sacerdotium non assimilatur ratione excellentiæ, ob defectum *duplicem*, 1. quia non efficaciter purgabat conscientias; 2. quia non erat *perpetuum*. Hebr. 7. v. 23. c. 10. v. 4. 11. II. *singularem*, secundùm ordinem *Melchisedeci*, cui sacerdotium Christi assimilatur ob excellentiam, 1. ratione *æternitatis*, Psal. 110. v. 4. 2. *ratione conjunctionis* duplicis officii, *sacerdotalis & regii*, 3. ratione decimationis Abrahæ ac Levi ipsius, adhuc in lumbis Abrahæ.

II. *Sacerdotium Christi pertinet ad universum genus humanum:* id quod evincitur ex singulis officii sacerdotalis Christi partibus.

12. *Tres* verò sunt actus seu apotelesmata sacerdotii Christi.

13. *Primus*, satisfactio Dei justitiæ tùm pro *culpa*, tùm pro *pœna*; aliâs obedientia dicta.

14. Satisfactio pro *culpa* (aliâs obedientia activa) est *impletio* legis moralis, & ceremonialis.

1. *Perfectißima*, quoad omnes legis partes, internis & externis viribus: quippe sine peccati ulliùs maculâ.

2. *Pro nobis* aut propter nos, non pro se aut propter se. Rom. 5.v.19.c.8.v.3.c.10.v.4.Gal.4.v.4.5.

15. Satisfactio *pro pœna* est liberatio hominum à reatu peccati, & obligatione ad pœnam æternam. Vocatur aliâs *obedientia paßiva* in scholis Theologorum; vel passio Christi, de qua seqq. Axiomat.

I. *Paßio Christi tres admittit gradus cum dolore conjunctos.*

1. In humillimâ nativitate, 2. à nativitate usq; ad S. cœnæ institutionem, 3. ab hac usq; ad mortem crucis: qui gradus uti est intensissimus, ita κατ' ἐξοχὴν officium sacerdotale ingreditur, ac in subsequentibus intelligitur.

II. *Paßio Christi fuit necessaria, contingens, & utrinq; sancta.*

1. *Necessaria* non consequentis, sed consequentiæ necessitate, ob prævisam & antegressam culpam humanam, 2. ob divinæ justitiæ placamentum & temperamentum ejusdem cum misericordiâ, 3. ob prædictiones, prævisiones divinas, finem, & eventum. Luc. 24. v. 7. 44. Matth. 26. v. 54. Johan. 3. v. 14. Actor. 2. v. 23.

2. *Contingens* 1. ratione *omnipotentis* Christi personæ. 2. ratione liberrimæ ipsius *potestatis*. Esa. 53. Ioh. 10. 3. ratione affligentium *hostium*, qui non erant à Deo ad hoc opus coäcti, sed ex libero arbitrio id ipsum patrarunt. 3. *sancta*, ratione sanctorum Christi tùm *dictorum*, tùm *factorum*, in ipso insuper ærumnarum æstu ferventissimo, ac acerbissimis cruciatibus.

III. *Passio Christi & mors simul erat actio*. Produxit namq; Christus patiendo & moriendo effectus planè stupendos, divinos ac supernaturales; uti jam dicetur.

IV. *Omnes particulæ passionis Christi loco eminentissimo erant meritoriæ, satisfactoriæ & expiatoriæ; loco secundario experimentales; loco ultimo exemplares.*

1. *Meritoriæ* quidem respectu Dei irati & offensi; hac n. parte justitiæ divinæ Christus satisfecit, (*a*) peccata nostra expiavit, (*b*) nos à maledicto legis, (*c*) tyrannide peccati, (*d*) & potestate Satanæ, (*e*) mortis & inferni (*f*) liberavit; cum Deo reconciliavit, (*g*) justitiam ac vitam æternam nobis acquisivit. (*h*)

(a) Rom.3 v.24.25.Eph.5.v.2. (b)1.Pet.2.v. 24. 1. Ioh. 1. v. 7. (c) Rom.8.v.3.Gal.3.v.13.(d) Rom.8.v.3.(e) Hebr.2.v.14.1.Ioh.4.(f) Heb.1.v. 15.Es.25 v.8.Os.13.v.14.1.Cor.15.v.54.55 57. (g) Ephes.2.v.16.Col.1.v.20.22.2. Cor.2.v.19. (h) 2. Cor.5.v.21.Dan.9.

2. *Experimentales*, ut sciret compati nostris infirmitatibus. Heb.2.v.18.c 4.v.15.

3. *Exemplares*, atque ita Christus dicitur passus fuisse, ut nobis relinqueret exemplum obedientiæ, quod imitaremur in patiendo pro veritate & justitia, imprimis verò pro ipsius nomine 1.Pet.2.v.21.

V. *Christi paßio erat universalis respectu temporis, & objecti.*

1. *Temporis* quidem 1. præteriti, 2. præsentis, 3. futuri: expiavit namq; Christus passione suâ peccata, tùm quæ *antegressa* erant ipsius nativitatem, passionem & mortem, Rom. 3. v. 25. Hebr.9.v.14.15. tùm quæ *instantanea* erant ipsius morti & passioni. Matth. 20. v. 28. c. 26. v. 28. Marc. 14. v. 24. Luc. 22. v. 20. tùm quæ adhuc erant *de futuro*, Rom. 4. v. 12. 13. 16.17.22.23.24. Gal. 3. v. 8. 9. 14. 22. 26.27.28.29. Col.1.v.21.22. Ephes.1.v.10.12.13.c.2.v.1.2.3.4. 5.11.12.13.14.15. 16.17.18.19.c.3.v.3.5.11.12. Hinc Christus dicitur Heri, hodie & in secula, Heb.13.v.8. & agnus dicitur occisus ab origine mundi, Apoc.13.v.8.

2. *Objecti* respectu, Christi passio ac ejus meritum sese extendit *ad omnes homines*, *nullo excepto*,

cepto, ac ne reprobis quidem. Vniverſalitas meriti Chriſti probatur, PRIMO ex intentione Dei, quæ univerſalis cernitur 1. ex univerſali Dei *dilectione*, ad univerſum mundum ſeſe extendente ex æquo, Ioh.3.v.16. Rom.5.v.8. Eph.5.v.25.1 Ioh.4.v.9. 2. Salvatoris toti mundo *promiſſione*, Gen.3.v.15.c.12.v.3. Gal.3.v.8. 3. univerſali *miſſione*, Eſa.61.v.1. Rom.8.v.32. Gal.4.v.4.5 1.Ioh.4.v.14. ad omnes homines, Ioh.1.v.9. Luc.2.v 10. Tit.2.v 11. 4. ex univerſali peccatorum in Chriſtum *impoſitione*, Levit.16.v.21. Eſa.53.v.6. 5. ex univerſali *reconciliatione*, Col.1.v.20.2.Cor.5.v.19. 6. ex univerſali *Vocatione*, Matt.22.v.2.Luc.14.v.16. 7. ex univerſali meriti Chriſti *obſignatione* per ſacramentum initiationis, Marc.16.v.16. Gal.3.v.27. 8. ex univerſali pœnarum immorigeris erga Meſſiam *comminatione*, Marc.10.v.16. Ioh.3.v 18.36.c.16.v.8.

SECUNDÒ à Chriſti fideliſſimâ *executione*, qui intentioni Patris ſui ſatisfacturus, mortuus, & paſſus eſt 1. pro *toto mundo*, Ioh.1.v.29.c.6.v.51.1.Ioh.2.v.2.c.4.v.14.2.Cor.5.v.19. 2. pro *omnibus hominibus*, Eſ.53.v.6.(infidelibus v.1.) Ioh.1.v.9. Rom.5.v.18.19.2.Cor.5.v.14.15.(omnibus v.10.11.12.) Col.1.v.20. Eph.1.v.10. Heb.2.v.9.1.Tim.2.v.6.c.4.v.10. Luc.2.v.10. Ioh.12.v 32. Rom.8.v.32. 3. pro iis inſuper, qui propriâ culpâ *pereunt*, Rom.14.v.16.1.Cor.8.v.11 Heb.6.v.4.5.6.c.10.v.26.27.28.29.2.Pet.1.v.9.c.2.v.1.18.20.21.22.

Tertiò

Tertiò à *latitudine objecti* perditionis per Adam, & restaurationis per Christum; illud enim est universale, utiq; & hoc. Rom. 5. v. 15. 18. aliàs enim latior, & amplior fuisset morbus ex Adamo derivatus in totum genus humanum; quàm gratia Dei per Christum acquisita, ad tollendum illud malum: multò minùs gratia abundasset supra delictum, contra Rom. 5. v. 20.

VI. *Christi satisfactio vel expiatio in morte, & paßione erat sufficientißima & efficacißima, etiamnum est, & erit in æternum.* 1. *Sufficientißima* I. *intensivè*, quippe potentissima ac æquivalens ad expiandum omnia peccata, originale, & actualia; quocunq; illa tandem nomine veniant, 1. Ioh. 1. v. 7. adeò ut nullâ aliâ, vel novâ oblatione Christi, vel alienâ satisfactione opus sit. II. *extensivè* tùm omnium hominum, 1. Ioh. 2. v. 2. tùm omnium temporum, uti antea dictum.

2. *Efficacißima* utroq; etiam modo, 1. *extensivè*, concernens omnium hominum, omnibus temporibus, omnia peccata: 2. *intensivè* quòd reapse peccata ille expiarit; Deum placarit; ei omnes reconciliarit; eos liberarit à maledicto & rigore legis, peccato, Satana, morte, inferno, & æterna damnatione, adeoq; justificationem & vitam æternam omnibus hominibus acquisiverit, vide suprà ax. 4.

VII. *Christi mors & paßio erat pœna æterna, non quidem duratione; sed virtute, & valore.*

Æternitatem pœnæ hujus efflagitabat pro-

portio

portio inter hanc, & culpam. Culpa, quoad actum transeuntem, erat quidem momentanea, & temporalis; quoad *objectum* verò & *valorem* æterna: quia offendit ac læsit justitiam ac voluntatem Dei infinitam ac æternam. Proinde pœnam similem exantlavit Christus plenariæ satisfactionis loco, vice nostri: *finitam* quoad actum, quippe in certo tempore & loco; *infinitam*, quoad valorem, 1. ob *subjectum* infinitum, quod est ipse Dei filius, 2. ob *objectum*, quod erant cruciatus infernales: 3. ob *effectum*, quia nos reduxit ac liberavit ex captivitate æterna; adduxit nobis justitiam & vitam æternam. Atq; hactenus de primo sacerdotii Christi actu.

16. *Secundus* actus sacerdotii Christi est *applicatio* hominibus omnium beneficiorum, merito suo acquisitorum. Notand. axiom.

I. *Applicatio tribus actibus absolvitur.*

1. *Appropriatione* satisfactionis, ut ea per fidem tàm fiat peculiaris ac propria hominibus, acsi ipsi eam in propriâ personâ, in propriâ anima, & corpore pro se præstitissent.

2. *Collatione* beneficiorum, passione & morte acquisitorum.

3. *Conservatione* in acceptis beneficiis, ex persolutâ satisfactione fluentibus. Comprehenduntur omnes hi actus unico illo effato: *Christus est Mediator noster, non tantùm merito; sed etiam efficaciâ*: ubi mentione efficaciæ actus ille tergeminus innuitur.

II. Appli-

II. *Applicatio bonorum merito Christi acquisitorum fit per Spiritum S.* Ioh.15. v.26. c.20. v.22.23. ceu arrhabonem. Eph. 1. v. 14. c. 4. v.30. 2. Cor. 1. v. 22.

III. *Applicatio ista non est absoluta: sed ordinata & conditionata.* 1. *Ordinata* quidem; quia ad applicationem istam Spiritus Sanctus confertur per certa media, nimir. per verbum *audibile*, Rom. 10. v. 17. & *visibile* sive *sacramenta*, tùm initiationis vel *Baptismi*; tùm confirmationis vel *cœnæ* Domini.

2. *Conditionata* verò, quia prærequirit fidem, quam Christus per media illa, nimir. verbum & sacramenta in hominibus obicem non ponentibus vult gratiosè operari; ipsoq; actu operatur: in contumacibus vero uti fidem non operatur: (quia non agit pro posse absoluto; sed ordinata voluntate) ita nec ipso actu, bona merito suo acquisita iis applicat; licèt interea cum gratiâ suâ præstò adsit, & pulset, ut aperiatur ostium cordis eorum, Apoc. 3. v. 20. & omnes ex æquo ad se blandissimè invitet. Matt. 11. v. 27. c. 23. v. 37 Vnde luculentum evadit, cur applicatio illa non sit universalis; in promtu namq; responsio est, non quidem ex particularitate affectus paterni divini; aut inefficaciâ meriti Christi; sed ex culpa hominum inobedientium & contumacium: æquè ac Regis cujusdam Christiani affectus benevolus particularitatis, vel prosopolepsias argui non potest, qui omnes suos

suos subditos ex captivitate Turcicâ, oblatâ certâ ac ἰσοῤῥόπῳ pecuniæ summâ, per filium suum actu liberare desiderarit; illorum verò quidam, spreto λύτρῳ, præfractè sub jugo Turcico perseverare perrexerint. Hîc quidem nulla fieret λύτρου illius, sive redemtionis applicatio; sed non ex defectu affectus regii erga subditos; nec ex defectu ac particularitate satisfactionis à filio regis, per precium interveniens præstitæ; sed ex culpâ & ingratitudine, nec non præfractâ contumaciâ illorum subditorum. Aut si medicus omnibus in una urbe veneno intoxicatis, certissimum ἀλεξιφαρμακὸν propinaret, illud verò pleriq; respuerent; utiq; nulla hîc foret applicatio, horum respectu; adeoq; nec à certissima morte liberatio; non ob fraudem medici; nec ob defectum efficaciæ pharmaci; sed ob negligentiam patientis, ejusq; inobedientiam. Idem habendum circa applicationem Christi.

17. *Tertius actus* sacerdotii Christi est *intercessio*, quâ Christus sacerdos noster pro nobis interpellat apud Patrem, per meritum & satisfactionem suam.

18. Circa intercessionem Christi respiciendum est 1. ad ejus *conditionem* vel *modum*, 2. *objectum*, & 3. *fundamentum*.

19. De *modo* Axioma I. *Intercessio Christi est perpetua.* Vti enim ab æterno intercessit pro genere humano lapso; ita etiamnum intercedit.

Rom.

Rom. 8. v. 33. 34. quippe sacerdos in æternum. Psalm. 110. v. 4. Heb. 6. v. 20. c. 7. v. 17. 21. 24. 25. 28.

II. *Christus pro nobis intercedit* 1. *pro nobis precando*, & 2. nos *patrocinio* adversus accusatorem *defendendo*. Heb. 7. v. 3. c. 12. v. 24. Rom. d. l. 1. Ioh. 2. v. 1. 2. Non nobis imaginemur aliquos gestus, prostrati in genua Christi: quos quidem in diebus carnis adhibuit sæpius; vel extensarum palmarum; vel gemituum ac suspiriorum; omnia hæc arguunt formam servi, quam ille deposuit; sed cogitemus, Christum intercedendo, causam salutis generis humani apud Patrem cœlestem agere, eiq; meritum suum insinuare, ut propte hoc, omnes in fide ad thronum Majestatis eju accedentes, in gratiam recipere dignetur; ne ob peccata, licèt grandia, eis succensere; mult minùs faciem ab eis avertere velit. Heb. 9. v. 24

20. De *objecto*: *Objectum intercessionis Chri* *est generale & speciale*. *Generale* concernit *omn* *in* universum *homines*; ipsos insuper hostes, inimicos Christi. Esa. 53. v. 12. Luc. 23. v. 34. Hi Christus præcipit nobis orare pro persequent bus nos, Matth. 5. v. 44. & pro omnibus hom nibus, 1. Tim. 2. v. 1. Nostra igitur oratio n potest nec debet esse latior Christi intercession Vocatur aliâs hinc precatio ἱλαστικὴ generali ut Redemtoris ac Pontificis. *Speciale* conceri *solos fideles*, Ioh. 17. v. 9. 11. 13. 15. 17. 20. Vocat hinc intercessio φυλακτικὴ specialis Christi u Pastoris, Conf. Matth. 25. v. 24.

21. De *fundamento*: Fundamendum intercessionis Christi est ipsius meritum, & satisfactio.

22. Hinc colligimus: *Quàm latè sese extendit Christi meritum, tàm latè etiam sese extendit Christi intercesßio.* Et vice versâ: Quousq; hæc patet; eousq; etiam Christi meritum. Iam verò Christi meritum est *universale*, uti suprà dictum est. E. & intercessio non ad solos Electos restringenda (in totum; sed in tantum) Et *contrà*: Quia Christi intercessio est generalis vel universalis: E. & Christi meritum nec debet nec potest restringi ad solos Electos.

De Regio Christi officio.

23. *Regium Christi officium est functio θεανθρώπου, quâ ipse gubernat omnia in cœlo & in terra, præcipuè verò in Ecclesia tùm* militante *tùm* triumphante.

24. Ab hoc officio vocatur Christus *Rex*, *Dominator*, *Princeps* &c. uti suprà dictum. Notentur h. l. Axiom.

I. *Christus officium suum regium ab æterno & in æternum administrat.* Dan. 7. v. 14. Luc. 1. v. 33.

II. *Christus est rex universalis vel œcumenicus.* Psal. 72. v. 8. Matt. 28. v. 19. Phil. 2. v. 9. 10. Ephes. 1. v. 21. 22. Col. 2. v. 10.

III. *Christus non est rex terrenus; sed cœlestis:* ideoq; terrena omnia neglexit, nempe 1. divi-

tias, 2. magnificentiam, & 3. honores mundanos, quamdiu in terris versabatur, & posteà. Hinc prædicatur fuisse pauper, humilis, & mansuetus. Zachar. 9. v. 9. Matt. 21. v. 5. Ioh. 18. v. 16.

IV. *Christus omne officium suum regium administrat non absens; sed maximè præsens; non secundùm alterutram, sed secundùm utramq; naturam.* Ratio *prioris.* Christus namq; non est purus & nudus homo; sed θεάνθρωπος, h. e. homo & Deus. E. etiam immensus ac infinitus, adeoq; omnipræsens; non è *longinquo*, sed de *propinquo.* Ier. 23. v. 24. Actor. 17. v. 27. Quo pacto præcellit Christus omnibus regibus mundanis; hi enim per subsidiarios regnare solent: Christus verò secùs. Ratio *posterioris*: quia omnia officia (inter quæ est etiam Regium) competunt Christo secundùm utramq; naturam. Sequitur hinc; ad regimen Christi *duo* pertinere requisita: 1. *adessentiam* seu *præsentiam* Christi secundum utramque naturam: ac secundùm *divinam* quidem, partim ob *immensitatem*; partim ob *promißionem* secundùm *humanam* v. propter 1. hypostaticam *unionem*, 2. singularem promissionem nec non 3. dextris Dei sessionem. 2. *operationem* seu gubernationem & administrationem omnium in cœlo & in terra, ac comprimis in Ecclesiâ.

25. Porrò officium Christi regium *tres* admittit *gradus*; pro regni Christi conditione & indole. Cujusvis expendi debent 1. *Qualitas vel forma*, 2. *fundamentum.*

26. *Juxta*

26. Juxta *primum* gradum vocatur *regimen potentiæ*, 1. ejusq; *qualitas* consistit in generali dominio super omnia; quod aliàs effertur per subjectionem omnium creaturarum, Psal. 8. v. 7. 1. Cor. 15. v. 27. Eph. 1. 22. dominationem in medio inimicorum, Psal. 110. v. 2. quos Christus cohibet, reprimit, punit & evertit, Psal. 2. v. 9. 1. Cor. 15. v. 54. 57.

2. *Christus in diebus carnis, vel in statu exinanitionis, dominium universale in cœlo, & in terra, non semper usurpavit secundùm humanam naturam, incessanter, & plenariè; sed aliquando, ubi, quando, & quomodo ipsi placuit.*

Licèt namq; caro Christi habebat vel possidebat communicatam sibi à λόγῳ potentiam infinitam, quâ dominium universale plenariè exserere potuisset: nolebat tamen hoc facere semper; sed in quantum opus redemtionis permittebat. Alioquin enim 1. mori, & pati non potuisset. 2. petitio clarificationis non fuisset vera, sed simulata, vel apparens. Joh. 17. v. 3. 3. falsò affirmaret Spiritus S. dominium universale subsecutum fuisse ascensionem Christi super omnes cœlos. Eph. 4. v. 10. 4. falsò insuper in Symbolo confiteremur sessionem ad dextram DEI post ascensionem.

3. *Fundamentum universalis dominii, vel præsentiæ generalis Christi secundùm humanam naturam, est tùm unio Hypostatica; tùm sessio ad dextram* DEI. *Illa* quidem respectu *juris & potestatis*, quippe

ob hanc caro Christi est σύνθρονος λόγῳ facta, & in consortium Trinitatis recepta: *Hæc* verò respectu *usurpationis plenariæ*.

27. Juxta *secundum* gradum vocatur Regimen *gratiæ*, estq; specialis operatio misericordiæ, & gratiæ in Ecclesia.

I. De *qualitate* seu forma regni gratiæ Axiom: *Regnum gratiæ quintupliciter Christus expedit in Ecclesia.*

1. *Mißione, illuminatione, & confirmatione* Apostolorum, Euangelistarum; pastorum, & Doctorum. Marci 16. v. 5. Luc. 24. v. 48. 49. Actor. 1. v. 8. Ephes. 4. v. 11.

2. *Collectione* Ecclesiæ per prædicationem verbi & dispensationem Sacramentorum. Matt. 28. v. 19. Mar. 16. v. 15. 20.

3. *Regeneratione; Sanctificatione; vivificatione* credentium in baptismo, & cœna. Joh. 3. v. 5. c. 6. v. 55. Eph. 5. v. 26. Tit. 3. v. 5. 1. Cor. 10. v. 16. 17. c. 11. v. 24. 25.

4. *Protectione & conservatione* Ecclesiæ. Matt. 28. v. 20. Apoc. 1. v. 13. 14. 18. c. 2. v. 1. 10. 11. 16. 26. Act. 23. v. 11.

5. *Effusione* variorum donorum Spiritus S. Marc. 16. v. 17. 18. 20. Actor. 2. v. 3. 4. & 33. Rom. 12. v. 6. 1. Cor. 12. v. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11.

II. *Christus in statu exinanitionis fuit gratiose præsens etiam secundùm humanam naturam, ceu caput, Rex, & Mediator Ecclesiæ.* Matth. 18. v. 20.

III. De *fundamento* regni gratiæ Axiom. *Fundamen-*

damentum regni Christi gratiæ, adeóq; ejus præsentiæ gratiosæ est 1. *unio hypostatica*, 2. *promißio ex libera voluntate & propriâ εὐδοκίᾳ Christi profecta.* Matt.18.v.20.c.28.v.20.Joh.14.v.23.

28. Iuxta *tertium* gradum vocatur *regnum justitiæ, & gloriæ.*

1. *Qualitas* seu forma regni gloriæ consistit in triplici actu Christi, 1. in *excitatione* mortuorum. Ioh.5.v.28. 2. in *universali judicio*, piorum ad gloriam; impiorum ad æternam ignominiam. Matt.25.v.33.34.41.46.Ioh.5.v.29.1.Thes.4.v.14.16.17.Col.3.v.4. 3. in *traditione* regni Deo & Patri.1.Cor.15.v.24. Et tunc erit Deus omnia in omnibus. v.28.

2. *Fundamentum regni gloriæ est* 1. *unio hypostatica*, 2. *Ascensio, & seßio ad dexteram majestatis* Dei, *quoad ordinem temporis*. Ioh.20.v.17.c.14.v.2.3.Eph.2.v.6.Phil.3.v.20.Heb.2.v.13.14.

3. *Christus in statu* Exinanitionis *regnum gloriæ non exercuit plenarie secundùm humanam naturam.* Ratio, quia pro fundamento agnoscit hic tertius gradus præter unionem, etiam Ascensionem in cœlos, & sessionem ad dextram Dei. E. hæc præcedunt illum.

ANTITHESIS.

29. *In genere*, officium Christi impugnabat 1. *Osiander* in uno extremo, justitiam nostram coram Deo humanæ naturæ adimens, & soli Deitati Christi tribuens.

2. *Stancarus* in altero extremo, qui opus Mediationis divinæ naturæ adimebat; & soli humanitati tribuebat.

3. *Pontificij* & qui hodie sententiam Stancari sequuntur. Vide Bellarm. l. 5. de Mediat. c. 1. & 3.

4. *Calviniani*, qui officium 1. Christi peractum esse negant in duabus naturis realiter. Vide *Dan.* in exam. *Chemnit.* p. 118. 156. & contra Tubing. p. 19. 20. 2. negant Christum esse Mediatorem Dei, ut omnium hominum; sed *solorum Electorum*. *Keckerm.* l. 3. system. Theol. c. 3. can. 4. & p. 332. objectum officii Christi solos electos statuit cum *Beza*, *Piscat.* & *Zanchio*.

30. *In specie* I. Officium *Propheticum* impugnant 1. *Pontificii*, Christo novarum legum promulgationem affingentes.

2. *Photiniani*, qui fingunt 1. Christum addiscere habuisse necessum voluntatem Dei, more reliquorum hominum. *Catech. Racov.* de officio Prophet. p. 130. 2. Christi doctrinam ad Patres V. T. non pertinuisse. *Catech.* d. l. p. 131.

II. *Sacerdotale* impugnant 1. *Pontificii*, negantes, præstitam esse à Christo plenariam satisfactionem pro peccatis actualibus; unde opinio meritorum.

2. *Photiniani*, negantes, passionem & mortem Christi fuisse satisfactoriam Deo vice nostri.

3. *Calviniani* 1. Christi meritum restringentes ad solos Electos, ut & ejusdem *applicationem*; Christiq; *intercessionem*.

III. Re-

III. *Regium* oppugnant I. *Photiniani*, contendendo, Christi regnum aliquando finem habiturum.

II. *Fratres roseæ crucis*, cum *Chiliastis* fingentes ac somniantes sibi regnum *terrenum* post 1000. annos.

III. *Photiniani & Calviniani*; illi quidem fingentes, regnum suum Christum administrare in absentia; hi verò in absentia humanæ naturæ his in terris, quibus adnumerantur meritò *Pontificii*, qui loco Christi absentis, aliud caput visibile his in terris substituunt, nempe Papam Romanum.

IV. *Schismatici* non nulli, statuentes, Christum in statu Exinanitionis jam fuisse exaltatum, adeoq; secundùm humanam insuper naturam præsentem omnibus creaturis semper, ac indesinenter in cœlo, & in terrâ, omnipotenter operatum fuisse, ut ut occultè sed citra scripturam, & contra fidei analogiam.

FINIS.